

pariant. Addunt iterum aliud alii, licet tandem concipere & parere soleant talismodi mulieres, liberi tamen harum non sint vivaces; cujus rationes præter jam dictas, forsitan non difficulter aliæ plures in medium proferri possent. Nota est quoque mihi mulier etiamnum vitâ gaudens, nec segnis existens ad actiones suas corporis atque animi expediendas, quæ quia abdomine tumente & à partu primo, vel hæreditariâ traduce, aut aliâ causa contractâ atque adhuc persistente prædita est, hætenus ægrè peperit, & minus vivaces aliquot liberos in lucem enixa est. Ut revertamur parumper ad sterilitatem paulò ante attactam, prostant equidem exempla de obesibus quibusdam, qui liberorum exstiterunt parentes, quod comprobatur *Gabr: Fallopius l. c. pag. 329.* Exemplis paucis idem illud confirmant de viris obesibus *Timæus à Guldentlee l. 2. obs. 6. p. 263.* & *Platerus l. a. p. 548.* Verùm de eo quod fit plurimum, canon ille medicus, & de exsuperante quidem, nec mediocri obesitate loquitur, quòd eadem sterilitatem inferat; & quidem hoc iterum citius credendum de mulieribus quàm maribus. Ex quibus dictis sequens quæstio quoad antenus etiam decidi posset: disquirat autem *Paul: Zachias (in quæst. Med. Legal: tom: l. lib. 3. tit. 1. quæst: 6. p. 234. & 435.)* de obesitate impotentiam conjugalem causante, & arbitratur matrimonium non esse dissolvendum si alterutra persona conjugum solum obesa sit. Singularem verò dissensum quasi & mutua impedimenta statuunt autores intercedere inter pingvedinem & facultatem ac partes genitales. Sic *Marchetti in Anat. p. 59.* annotat quod testes inter alias partes paucas corporis pingvedine careant. De pene pingvedine pariter destitutò, alio in loco dissertationis nostræ agitur. Utrum ergò juxta *Marc. Malpighii in Epist: anat: p. 106. & 107.* sententiam mediantibus ductibus ad genitalia, organa deferatur, atque eadem semen constituat, admodum ambigo. Si verè illud ita esset, sine dubio maximè fecundi forent obesi, utpote quos materia illa pingvis, pro augendo semine, non destituit.

Quod juxta memorata incommoda etiam obesi ægrè ferant famem, colligi potest ex sequentibus. *Schach Saadi in Persianschen*

schen